

S. G. B. T. B.

S. G. B. T. B.



z. B. A. h

W. A.

T. q. 259.



59
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO XXVI.

continens
ANTIΘΕΣIN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie,

DE QUESTIONIBUS:

I. An Spiritus Sanctus sit Vicarius

Christi? 2. An Primatus Petri consistat in eo, quod fuerit primus
aetate, vocatione, & charitate inter omnes Apostolos?

Proposita.

In Electorali Academia VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

M. ERICO PELSHOFERO Græ-

ciensi Styro.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem Novembr.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AURBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM TERTIUM
 IN AUSTRIANIS UNIVERSITATIBUS
 DISCURSUS
 ANATOMICO-MEDICIS
 DE ECCELLEN
 TIA
 IN ELECTORIS ACADEMIA VIENNE
 JACOBO MARTINI SS. TH.
 DOCTORI ET PROFESSORI P
 M. JACOBO BARTHOLOMEO
 Typis Haerodoni Saboniani Aed. Typogr.
 Anno MDCCLX





D. O. M. A.

Continuatio.



Vin Epilogo præcedentis Disputationis promisimus, ad alteram partem tractatus Becani de Capite Ecclesiæ progredimur: quâ speciatim quæritur, An Petrus fuerit visibile caput Ecclesiæ præ aliis Apostolis? Hæc ergo quæstio hac præsentis & proximè subsequenti- bus est examinanda.

T H E S I S I.

Becanus primùm in generali præfatione suam controver-
siam præmittit, eamq; in quatuor secat partes sive quæstiones:
& deinde in speciali tractatione, quia de prima actum est in
præcedentibus, posteriores tribus conclusionibus includit, &
probare satagit. Generalis præfatio §. 33. hæc est: *Hæc tria pro
eodem usurpari apud nos solent: 1. Petrus est visibile caput totius Ec-
clesiæ, loco Christi. 2. Petrus est Vicarius Christi, in regimine totius
Ecclesiæ. 3. Petrus habet Primatum totius Ecclesiæ. Nihil horum
admittunt Adversarii. Et quidem Marcus Antonius sic statuit: 1. Nul-
lum esse caput Ecclesiæ, præter Christum. 2. Spiritum S. propriè esse
Vicarium Christi in Regimine Ecclesiæ, non Petrum. Quod etiam do-
cet Rex Angliæ, in monitoriâ præfatione. 3. Petrum non habere Pri-
matum Ecclesiæ, sed Primatum Ecclesiastica potestatis & jurisdi-*
A 2 *ctionis,*



tionis, quem nos illi tribuimus. 4. Habere tamen Primum atque
vocationis, & charitatis, respectu aliorum Apostolorum. Primum
punctum jam refutatum est, & clarè demonstratum, aliud caput vi-
sibile præter Christum admitti oportere. Reliqua tria hic refutan-
da sunt.

II. Verum est, priorum illarum opinionum, quas de-
fendere strenuè laborant Papani, nullam nos probare; sed po-
tius damnare & planè rejicere. Marci Antonij autem propo-
sitionem primam, nimirum, nullum esse visibile caput Ecclesie præ-
ter Christum, contra omnes portas inferorum ex sacra Scriptu-
ra defendit Orthodoxa nostra Ecclesia. Alteram verò quod
attinet, quâ Spiritus Sanctus asseritur Vicarius Christi; concedi-
mus quidem, quod is mittatur à Christo, ut ducat nos in o-
mnem veritatem: interim phrasi hac, Spiritum S. esse Vicarium
Christi, nunquam usa fuit nostra Ecclesia. Uti etiam putamus
ab ea abstinendum esse. Tertiam autem, ut primam, simplici-
ter probamus, & contra Papistas constanter ex verbo Dei de-
fendimus: uti etiam quartam concedimus, ac veram esse sta-
tuimus. Quod tandem addit Becanus, primum punctum, nem-
pe, nullum esse caput Ecclesie præter Christum, refutatum, clareq; de-
monstratum esse, aliud caput visibile præter Christum admitti debe-
re; verba sunt. Penes candidum & veritatis amantem lecto-
rem iudicium esto.

III. Pergit Becanus ad tractationem specialem, & S.
34. primam proponit Conclusionem. Prima Conclusio, inquit:
Spiritus sanctus non est propriè Vicarius Christi, in regimine Eccle-
siae. Ratio, quia Vicarius, propriè loquendo, minor seu inferior est eo,
cujus est Vicarius. Qui ergò asserit, Spiritum sanctum propriè esse
Vicarium Christi, consequenter debet asserere, Spiritum S. esse mino-
rem Christo. Hac autem est hæresis Macedoniana. Porro, quod Vi-
carius, propriè loquendo, minor sit eo, cuius est Vicarius, certum est ex
communi hominum usu & conceptu: non solum apud Catholicos, sed
etiam apud Adversarios. Nam quando Calvinus ait, Christum esse
Vicarium Dei Patris; Calvinista hoc interpretantur de Christo, se-
cundum humanitatem, non autem secundum Divinitatem: ne cogantur
conce-

concedere, Christum secundum Divinitatem minorem esse Patre, qua
est haeresis Ariana. Supponunt ergo, Vicarium, proprie loquendo, mi-
nozem esse eo, cujus est Vicarius. Quod & Marcus Antonius expres-
se supponit lib. 4. cap. 1. num. 4. Ubi citat testimonia quorundam Pa-
trum, qui Pontificem appellant Vicarium Petri. Et inde concludit,
Pontificem Petro inferiorem esse. Vel ergo bene concludit, vel male. Si
male, nihil efficit. Si bene, supponit, Vicarium minorem esse eo, cujus
Vicarius est; & consequenter: si Spiritus Sanctus proprie est Vicarius
Christi, minorem esse Christo. Hic non potest evadere, nisi seipsum
neget.

IV. Diximus, nos phrasin hanc, Spiritum sanctum esse
Vicarium Christi, non probare, ac proinde Controversiam hanc
nostram non facere. Argumenta igitur Becani quidem exa-
minabimus, & pro re nata confutabimus, non ut simpliciter
Antonij assertionem probemus: sed ut duntaxat demonstre-
mus, Becanum jejune disputare, & nihil minus facere, quam
sententiam Antonij refutare.

V. Primum ergo sic disputat ab absurdo Becanus: Om-
nis Vicarius Christi est minor Christo. Atqui, juxta assertio-
nem Antonij, Spiritus sanctus est Vicarius Christi. Ergo Spiritus
sanctus, juxta assertionem Antonij, est minor Christo. At
Conclusio haec est falsa & absurda. Est enim haeresis Macedo-
niana. Ergo id vel propter Majorem, vel propter Minorem.
At Majorem falsam esse negat Becanus, & negationem hanc
suam probat: Quia, inquit, Vicarius, proprie loquendo, minor
est eo, cujus est Vicarius: idque certum esse dicit ex communi
hominum usu & conceptu: quem porro inductione probat.
Si ergo Major est vera, & Conclusio falsa, necessariò sequitur,
Minorem, quae assertio Antonij est, falsam esse: cum ex veris
praemissis, in formam syllogistica legitime dispositis, impossi-
bile sit, Conclusionem falsam inferri. Atque hinc tandem trium-
phus Becani, quo concludit: *Hic Antonium non posse evadere, nisi
seipsum negare velit.*

VI. Sed triumphus ante victoriam. Respondemus
ergo pro Antonio: Majorem, & ejus adductam rationem pri-

A 3.

maam,

nam, quod omnis Vicarius sit minor eo, cuius est Vicarius, laborare fallaciã à dicto secundum quid. Quandoquidem distinguendum i. inter essentiam, essentialẽque dignitatem & excellentiam; & deinde inter officium. Vicarius quidem officii ratione minor dici potest eo, cuius Vicarius est: quia fit eius quasi instrumentum sive ὄργανον. At ὄργανον ut tale, semper est minus eo, cuius est ὄργανον, nempe causã principali, licet ratione essentiaẽ, naturalisquẽ excellentiaẽ & præstantiaẽ esse possit vel æquale, vel etiam præstantius. Sic Princeps, ejusdem conditionis, dignitatis & excellentiaẽ, ratione nativitatẽ, status & ingenii, potest esse Vicarius alterius Principis: & sic ratione nativitatẽ, nativã dignitatis, status, & sanguinis excellentiaẽ æqualis suo principali, licet ratione officii, quod in se suscepit, minor sit. Sic (ad Minorem) dici posset, Spiritum sanctum quidem æqualem esse Christo, ratione essentiaẽ ac divina excellẽtia & majestatis: licet ratione officii, quod mittitur à filio, & quod nobis annunciat, quã à filio audivit & accepit, Job. 16. v. 13. 14. minor filio esse rectẽ dicatur.

VII. Quandoquidem hac distinctione jam olim responsum est Hæreticis. Nam sic argumentabantur Ariani ex Job. 14. v. 28. Quo Pater est major, ille ipsi non est ὁμοῦσι. At Filio, Pater est major: Ergo Filius Patri non est ὁμοῦσι. Minor est ipsius Christi loco allegato: Pater major me est. Ibi quidem initio respondebat Athanasius, distinguendo inter duas naturas in Christo, divinam & humanam: & addebat, verba Christi non simpliciter, sed tantum secundum quid, nempe secundum humanam naturam, accipienda esse, secundum, quam revera sit minor patre, licet secundum divinam, & ut Deus est, patri sit æqualis & ὁμοῦσι.

VIII. Quia verò responsione hac Nestorius ad errorem suum stabiliendum abutebatur, & Christum tantum secundum humanam naturam nostrum mediatorem esse, exinde concludere satagebat, rectẽ postmodum responsum est, Filium dici minorem Patre, & hunc majorem Filio, ratione missionis, quatenus à Patre in hunc mundum & carnem, ad opus redem-

redemptionis perficiendum, missus est; atque sic duntaxat ratione officii, nequaquam verò ratione essentiae. Si ergo responsio hæc vera & Orthodoxa est, & nihil incommodat Deitati Filii: utique verè etiam & Orthodoxè eadem distinctione resolvi potest, ac refutari argumentum Becani, nihilque illa incommodabit Deitati Spiritus sancti.

IX. Quod porro Becanus allegat communem hominum consensum, nihil eo efficit. Is enim in ejusmodi mysteriis nihil probat. Quippe qui tantum fundatur in rebus creatis, intellectui proportionatis, & sic naturam cognitis, & rationi naturali subjectis & perspectis: Verum mysteria illa ex illorum censu excipiuntur, & sufficit π° extare in scriptura. Sic tribuit Scriptura Deo proprietates: At communi hominum consensu illæ essentiâ suâ diversæ sunt à subjecto suo: quod verò de illis negatur. Sic tribuit Deo misericordiam, tribuit justitiam, &c. Quæ certè communi hominum consensu realiter distinguuntur ita, ut Misericordia non sit Justitia, & contra: At si fidei principia & S. Scripturam sequi volumus, ut debemus, fateri contra illum communem consensum cogimur, misericordiam in Deo esse ipsam justitiâ, & hanc ipsam misericordiam: & utramque ipsam essentiam divinam. Et tandem, quod omnium difficilimum est, communi hominum consensu, tot agnoscuntur divisæ ac realiter distinctæ essentiae, quot personæ: At scriptura & fides Christiana docet, & certò persuadet, in unâ indivisâ, indistinctâ, & simplicissima essentia divinæ simplicitate dari tres realiter distinctas personas. Quod sanè adeò difficile & tam profundum est mysterium, ut homo, rationem suam sequens, non possit non cum Averroë id absurdissimum, inconvenientissimum, ineptissimumque judicare. Attamen quia σ° expressis testimoniis, operationibusque luculenter demonstrat scriptura: omne quod ratio ex suis principiis oggannit, falsum & impium esse necesse est. Quocirca si σ° perspicuè traderet, ac doceret scriptura, nempe quod Spiritus sanctus sit *Vicarius Christi*, credendum esset: licet intellectus noster *diòli* non apprehenderet: Proindeque



deque quicquid etiam contra obiectaret ratio, frivolum esset, vanum esset, nihilque concluderet; cum inter res divinas ac mundanas nulla detur proportio, proindeque communibus principiis comprehendi nequeant.

X. Quod attinet Calvini *παρρησιας*, qua *Filium* dicit *Vicarium Dei Patris*, faciat id suo iudicio: Nos scimus, quod Scriptura ita non loquatur, & quod opera Trinitatis ad extra sint indivisa: in quibus *Vicarii* ratio nulla est. Quod autem indivisum est, subordinationem proprie non admittit. At *Vicarii* actio subordinatur, adeoque proprie loquendo, alia est ab actione principalis agentis, sive illius, cuius est *Vicarius*. Atque in hoc suam refutationem fundare debuisse Becanus. Sed certum est, Calvinum non dicere *Filium* simpliciter *Vicarium Dei Patris*, sed tantum secundum quid, analogice, & vocabulo in lata significatione accepto: quippe qui aliis eandem cum Deo Patre habet essentiam, potentiam, maiestatem ac virtutem: quarum respectu subordinatio *Vicarii* sub principe causa fieri solet: hic autem propter simplicissimam essentiae, maiestatis ac virtutis *ἰσοτιμίας* fieri non potest.

XI. Atque simili modo Antonius bene concludit, Romanum Pontificem ratione officii, imò etiam donorum & virtutis inferiorem esse Petro: cum sit juxta quosdam *Vicarius Petri*: idque non in Apostolatu, quippe in quo nullum habet successorem; sed quatenus specialis Episcopus Romanus est constitutus: Unde etiam rectè à nobis additum: *Et donorum ac virtutis, excellentiaque, ratione Pontificem Romanum Petro minorem argui. Et, si Spiritus sanctus est Vicarius Christi, utique Christo non nisi ratione officii minor est.* Evasit ergo Antonius, & seipsum non negavit.

XII. *Addam duo dilemmata: (subjicit Becanus §. 35.) Unum: Vel Spiritus sanctus proprie est Vicarius Christi secundum humanitatem, vel secundum Divinitatem. Si prius, sequitur, Spiritum sanctum minorem esse Christo homine: Et similiter, Deum esse Vicarium hominis; quod est planè absurdum. Si posterius, sequitur, Christum secundum Divinitatem, & non secundum humanitatem, esse*

esse caput Ecclesie; quod est aequè absurdum. Est enim caput secundum eam naturam, secundum quam meritus est exaltari, & caput Ecclesie agnosci, ut supra dictum est. At meritus est exaltari secundum humanitatem. Ergo secundum humanitatem est caput Ecclesie. Unde Augustinus lib. 1. de Trinitate, cap. 12. ait: Christus secundum formam Dei, primogenitus omnis creatura: secundum formam servi, caput corporis Ecclesie.

XIII. Nihil minus quàm dilemma hoc est. In majore enim est insufficiens partium enumeratio. Quandoquidem datur tertium in Christo, nempe officium, quod secundum utramque naturam gerit. 2. Vana quoq; illa & inepta est. Scire enim debebat Jesuita, quod nemo alterius Vicarius esse queat ratione naturæ; sed tantum ratione officii, quod alterius vice gerit. Nam hoc quidem alteri potest committi, & in eo alius quispiam substitui, sed in naturâ nequaquam. Quomodo enim quis alterius naturam in sese derivare, suscipere & sustentare, sicque pro altero ipsius natura esse poterit? Dilemma igitur, ut diximus, nullum est. Ponamus enim, Spiritum sanctum esse Vicarium Christi in officio, quod secundum utramque naturam, humanam & divinam, sustinet; quid sequetur absurdum? Sanè id, quod Becanus fingit.

XIV. Negari etiam non potest, quòd Spiritus sanctus dicatur mitti à Christo, non tantum quatenus Deus, sed etiam quatenus homo est. Quandoquidem i. missionem ejus meruit suo abitu ad patrem, & sic passione & morte. Deinde illum quoq; mittit. Joh. 16. v. 7. *Confert vobis, ut ego abeam: nam nisi abiero, consolator ille non veniet ad vos: Sin autem abiero, mittam eum ad vos.* Quæ sanè omnia propriè de humanitate sunt intelligenda. Joh. 7. v. 38. & 39. *Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina aqua viva fluent ex ventre ejus.* Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum: nondum enim erat Spiritus sanctus: (nempe visibiliter effusus) quia Christus nondum erat glorificatus.

XV. Quæ ratio bene notetur: & attendatur, quod Christus sic glorificatus secundum humanam naturam. Ut enim

B

secun-

secundum humanam naturam Patri obediens factus est usq;
ad mortem, ad mortem autem crucis: sic secundum eandem
Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei
nomen, quod est super omne nomen, ut ad nomen Jesu omne
genus se flectat, cœlestium ac terrestrium & subterraneorum:
omnisque lingua confiteatur, quod Dominus sit Jesus Chri-
stus, ad gloriam Dei patris. *Phil. 2. v. 8. 9. 10. 11.* Sic *Psal. 68. v. 19.*
dicitur, & repetitur *Eph. 4. v. 8.* quod is, qui ascendit in altum, ,
captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus. Et *A-*
ctor. 2. v. 32. 33. Hunc Jesum suscitavit Deus, & postquam dex-
trâ Dei fuit exaltatus, & promissum Spiritum sanctum acce-
pit à Patre, effudit hoc, quod nunc spectatis & auditis vos. Et
ille ipse Jesus est, idq; præstitit, quem Deus Dominum & Chri-
stum fecit, *ibid. v. 36.* Ergo secundum quam naturam Deus Je-
sum fecit Dominum & Christum, atq; ad dexteram Dei exal-
tavit: secundum illam quoque naturam effudit Spiritum san-
ctum. At secundum humanam naturam Deus fecit Jesum
Dominum & Christum: Ergo etiam Jesus secundum huma-
nam naturam effudit, & sic misit Spiritum sanctum. Major est
certa ex allegatis dictis: Minor firmâ hac nititur ratione. Nam
secundum divinam naturam non est factus; sed suâ naturâ est
Dominus & Rex. Ergo tantum secundum humanam natu-
ram est factus Rex & Dominus. Ergo Conclusio quoq; est cer-
tissima.

XVI. Quare si Antonio Spiritus sanctus propterea
dicitur Vicarius Christi: quod sit ab ipso missus ad hoc, ut ar-
guat mundum de peccato, de justitia, & de judicio; ut que nos
ducat in omnem veritatem, omniaq; quæ in Concilio sacro-
sanctæ Trinitatis audivit, loquatur, Christum glorificet, & quæ
de ipso accepit, communicet, *Job. 16. v. 8. & seqq.* sanè tum non
tantum respectu divinitatis, sed etiam respectu humanitatis,
h. e. respectu officii Christi, quod secundum utramq; naturam
præstatur, rectè intelligitur: nec propterea Spiritus sanctus
humanitate minor, nec Deus Vicarius hominis, hoc est, $\psi\iota\lambda\acute{o}\varsigma$
 $\alpha\iota\theta\epsilon\acute{o}\tau\eta\varsigma$, sed Christi, ut DEUS & homo est, humani-
tasque

tasque ejus in consortium S. Trinitatis assumta & exaltata.

XVII. Quid autem hoc, quod disputet Becanus, Christum tantum secundum humanam naturam esse caput Ecclesie, absurdumque; statuat, si quis secundum divinam quoque naturam, ipsum Ecclesie caput dicat? Cum interim Christum quoque, ut Deus est, caput Ecclesie esse, tam manifestum sit in sacris scripturis, quam quod manifestissimum. Quandoquidem caput esse Ecclesie divinam complectitur Majestatem, id quod exinde certum est: quia sublimitatem, summa quæque, tum quæ in hoc, tum quæ in futuro seculo nominari possunt, præter unum solumque; Jehovaham, excedentem, ideoque ad ipsam usque divinitatis majestatem, pertingentem, postulet, uti videre est *Eph. 1. v. 9. & seqq.*

XVIII. Quia etiam idem apparet ex omnibus illis testimoniis, quibus Jehova se Ecclesie Dominum solum atque unicum profitetur, honoremque, quod solus pater noster sit, Rex, Dux, atque adeo caput ipsum, sibi soli vindicat & adscribit.

XIX. Officia etiam partesque, quæ capitis hujus effecta, muneraque; ad Ecclesiam constituendam, conservandam, defendendamque; pertinentia, describunt, idem illud arguunt. Primum enim opera gratiæ hic recensentur, quibus Ecclesiam instruit, singulosque credentes beat & salvat: ut ex dicto *Eph. 3. v. 16. & seqq.* apparet.

XX. Deinde recensentur opera judicii contra hostes impios & inimicos veritatis, contraque; ipsum Satanam, peccatum & mortem, à quorum omnium tyrannide & oppressione, universam tum Ecclesiam, tum singulos pios asserit caput: quippe cornu sit salutis, in domo Davidis erectum, ut prima Synodus Novi Testam. concludit, *Luc. 1. v. 69.* & populum suum servaturus sit à peccatis, ut est *Matth. 1. v. 21.* & ex omnium inimicorum manu, *Lue. 1, 71.* liberaturus, regnaturusque in medio inimicorum suorum, *Psal. 110, 2.*

XXI. Denique hic recensentur officia, quibus omnes omnino creaturas, tanquam caput, membris suis rectè con-

fulens, ad membrorum & Ecclesiae salutem dirigit, ut omnia, quae sunt, & quae fiunt, cedant fidelibus ad emolumentum & bonum, nihilq; sit aut imum aut summum, gratum aut ingratum, durum aut molle, acerbum aut jucundum, praesens aut futurum, quod eos, qui Christi sunt, à Christo, capite suo, avellat.

XXII. Quae sanè singula divinam capitis hujus Majestatem arguunt, planissimeque definiunt: siquidem haec solius Dei sunt, non creaturae alicujus effecta & munera.

XXIII. Praeterea etiam ad *Eph. 1. v. 19.* apertissime idem asseritur, quando hujus officii, munerisq; potentia celebratur excellentis magnitudinis, pro efficacitate roboris in membris suis agente ad spem & vocationem haereditatis promissae in Christo & datae.

XXIV. Conclusum igitur esto contra nugas Becani: Caput Ecclesiae esse, complecti divinam, divinitatis propriam majestatem, non finitae duntaxat gloriae honorem: proindeque Christum Ecclesiae quoque revera caput esse, ut Deus & Jehova est.

XXV. Et facile illud ipsum ex Beano contra Becanum potest demonstrari: Nam in tractatus primi de cap. Ecclesiae Conclusionem prima §. 4. dixit, *Christum in hac vita existentem fundasse, & definivisse Ecclesiam Novi Testamenti.* Sic arguuntur. Qui fundat & definit Ecclesiam, ille facit id, quia divina potestate & majestate praeditus, & sic ut verus Deus est: At Christus fundat, & definit Ecclesiam. Ergo Christus id facit, quia divina potestate & majestate praeditus, & sic ut verus Deus est. Porro: Qui fundat & definit Ecclesiam ut Deus, ille quoque illam regit, sicque ejus caput est, ut Deus: At Christus fundat Ecclesiam ut Deus: Ergo & illam regit, & ejus caput est ut Deus. Major est certa. Nam regere & conservare Ecclesiam, est fundationem ejus continuare. Ergo qui fundat & definit Ecclesiam, is quoque idem eam regit, proindeque ejus caput est.

XXVI. Et §. 28. scribit idem Becanus: *Ecclesia habet unum caput quoad influxum gratiae: habet duo quoad externam gubernationem.*

*bernationem: quorum unum supplet vices alterius. Et priori modo
solus Christus est caput, reliqui omnes sunt membra &c. Et §. 18. hæc
explicat: Quæras, inquit: Quomodo Christus dicitur gubernare Ec-
clesiam per internum influxum gratiæ? Respondeo: Christus potest du-
pliciter considerari: 1. quatenus est Deus. 2. quatenus est homo. Utro-
que modo gubernat Ecclesiam per influxum gratiæ, sed diversâ ratio-
ne. Nam quatenus est Deus, per se physicè & effectivè producit gra-
tiam: quatenus homo, per se moraliter & meritorie illam confert.
Prior modus conferendi est illi communis cum Patre & Spiritu san-
cto: posterior est illi proprius.*

XXVII. En his in locis disertis verbis affirmavit Be-
canus, Christum secundum divinam naturam esse caput Ec-
clesiæ, & quidem magis, quàm secundum humanam naturam.
Sic enim argumentor: Secundum quam naturam Christus
physicè sive realiter & effectivè gubernat Ecclesiam, secun-
dum illam magis eam gubernat, & sic magis ejus caput est,
quàm secundum quam illam tantùm moraliter & meritorie
gubernat: At juxta Becanum, Christus secundum divinam na-
turam physicè sive realiter & effectivè gubernat Ecclesiam; se-
cundum humanam autem naturam tantùm meritorie & mo-
raliter: Ergo juxta eundem, magis Christus gubernat & ca-
put est Ecclesiæ secundum divinam, quàm secundum huma-
nam naturam. Major est firma. Nam is magis & propriè gu-
bernat, qui magis & propriè in gubernatione agit: At is, qui
realiter & physicè agit, magis & propriè agit, quàm qui mo-
raliter & meritorie agit. Hic enim tantum agit metaphoricè
& non propriè. Quod ergo in præcedentibus Becanus disertis
verbis affirmavit, hoc loco negat, & ut absurdum rejicit. Quid
autem est sibi contradicere, si hoc non est?

XXVIII. Verba Augustini non sunt exclusivè intelli-
genda ita, ut tantùm secundum humanitatem dicatur caput:
sed inclusivè; ut etiam ipsa Deitas vel λόγος & ea, quæ capitis
munia sunt, post incarnationem in humanitate & per illam ob-
eat & perficiat. Nam sic quoque de capite hoc loquitur Au-
gustinus tomo 2. libro Epistolarum Epist. 50. circa finem: Ec-

clesia Catholica sola corpus est Christi, cuius ille caput est, Salvator corporis sui. At Salvatorem esse corporis Ecclesiae omnia modo enumerata officia & munia divina complectitur.

XXIX. Subjicit Becanus §. 36. alterum Dilemma: *Alterum, inquit: Vel Spiritus sanctus proprie est Vicarius Christi in externo & visibili regimine Ecclesiae, vel in interno & invisibili. Non prius, quia non gubernat Ecclesiam per se visibiliter, sicut Christus in hac vita gubernavit. Nec posterius, quia internum Regimen Ecclesiae consistit in interno influxu donorum gratiae. Hunc autem influxum praestat Christus vel meritorie, quatenus est homo: vel physice & effective, quatenus est Deus, ut supra §. 18. dictum est. At Spiritus sanctus neutro modo potest esse ipsius Vicarius. Non priori, quia non meretur nobis gratiam. Imò, cum purus Deus sit, mereri non potest. Nec posteriori, quia tamen si effective producat gratiam, tamen illa productio est communis tribus personis, juxta axioma Theologorum: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Ergo nulla causa est, cur in tali productione Spiritus sanctus sit potius Vicarius Filii, quam Pater aut Filius sit Vicarius Spiritus sancti.*

XXX. Vanissimum quoque hoc dilemma, atque sic etiam nihil minus quam dilemma est. Quandoquidem Antonius r. supponit, quod Spiritus sanctus utroque modo Christi Vicarius esse possit. Deinde ad ducta ratio: quam priorem modum tollere conatur, nulla est. Nam licet Spiritus sanctus non visibiliter in Ecclesiam effundatur (quod tamen die Pentecostes factum est,) effunditur tamen super visibilia membra Ecclesiae, & cum primis super illa, per quae externo modo gubernatur Ecclesia, nempe super Doctores & Pastores ejus, quibus confert dona ad Ecclesiasticam gubernationem necessaria. Quare sic argumentor: Quicumque juxta promissionem Christi, & sic loco Christi, Doctoribus Ecclesiae suggerit dona administrationis, ad exequendum officium & ministerium visibile, ille quatenus hoc ipsum facit, promovet quasi loco Christi externum & visibile regnum: At Spiritus sanctus hoc facit, nempe juxta promissionem Christi, & sic q. loco Christi suggerit dona administrationis externae in Ecclesia

eleſiã viſibili. Ergo Spiritus ſanctus promovet quaſi loco
Chriſti externum & viſibile ejus regnum. Atque hoc quia de
Spiritu ſancto negari nequit, exiſtimat Antonius, ſi omninò
Vicarius aliquis Chriſti in externã gubernatione Eccleſiæ ſit
concedendus, illum fore non Papam Romanum, ſed Spiritum
ſanctum.

XXXI. Major eſt firmiſſima & maniſeſtiſſima: & Mi-
nor conſtat diſertiſſimis Scripturæ testimoniis. Promittitur
enim Spiritus ſanctus poſt abitum Chriſti Joh. 14. v. 26. *Para-
cletus ille, Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille
vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæ dixi vobis.* Rur-
ſus ibid. cap. 15. v. 26. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam
vobis à Patre, ille teſtabitur de me.* Et cap. 16. expreſſè illa, quæ
peraguntur in regimine viſibili Eccleſiæ, Spiritui ſancto ad-
ſcribuntur, nempe *quod arguet mundum de peccato, de juſtitia,
& de judicio, v. 8. 9. 10. 11. quod fideles, & cum primis Doctores
ac Paſtores Eccleſiæ, introducet in omnem veritatem, quod glori-
ficabit Chriſtum, nempe per viſibile miniſterium, & omnia, quæ
audivit, loquetur, & annunciabit nobis, v. 13. & 14.* Ut autem pro-
miſſus eſt, ſic quoque die Pentecoſtes effuſus eſt ſuper Apo-
ſtolos, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, cæperuntque lo-
qui aliis linguis, Act. 2. v. 4. Et quod ibi fecit & inchoavit, il-
lud ſemper in hunc uſque diem in Eccleſiã continuat, quando
aliquos facit Prophetas, aliquos doctores, aliis donum lingua-
rum communicat, 1. Cor. 12. v. 28. Et. Act. 13. v. 2. & cap. 20. v. 28. ex-
preſſè Spiritus ſanctus dicitur præſicere & conſtituere Episcopos ad
paſcendum Eccleſiam Dei. Quæ ſanè adeò clara & maniſeſta ſunt,
ut ea Becanus, vel ullus alius Jeſuita, negare nullo modo poſ-
ſit, ac proinde primum dilemmatis cornu ſit ejectum.

XXXII. Alterum quoque eãdem facilitate frangitur.
Quandoquidem nullo modo ferri debet, quod Jeſuita Spiritum
ſanctum ab interno donorum gratiæ influxu arcet. Sa-
cra enim ſcripturã illum ipſi expreſſè tribuit, utpote mentis
illuminationem, juſtificationem, regenerationem, ſanctifi-
cationem, & in fide confirmationem, quippe per quem datur
ſermo

sermo sapientiæ, sermo cognitionis & fides, *1. Cor. 12. v. 8. 9.*
& nemo potest dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum
sanctum, *ibid. v. 3. 1. Job. 2. v. 27.* Illuminat igitur mentes homi-
num, ut verbum Dei rectè intelligant, renovat voluntates, ut
assentiantur, tangit corda, ut ad sermones legis contremiscant,
& voce Evangelii excitat ad fiduciam in Deum, & accendit
pectora, ut amore Dei ferveant. Atque hæc est conversio ho-
minum, qui fide, sibi per Spiritum sanctum donatâ, Christum,
in promissione gratiæ oblatum, amplectuntur, & hujus meri-
to atque intercessione credentes justificantur, atque in fide
adoptantur: fiuntque porrò templa Dei, & Spiritus Dei habi-
tat in eis, *1. Cor. 3. v. 16.* qui vivificat mortalia corpora nostra, &
pia agnitione fideles ad opera vocatione digna idoneos red-
dit. Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, *Rom. 8.*
v. 14. Idem Spiritus est, per quem clamamus Abba Pater, *v. 15.*
Testatur una cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei, *v. 16.* Sub-
levat nostras infirmitates, ut, cum non noverimus, quid pre-
cemur, ipse interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,
v. 26. Qui emissus in corda nostra clamat Abba Pater, *v. 15.* &
est Spiritus sanctificationis nostræ, *2. Thess. 2. v. 13.* & *1. Pet. 1. v. 2.*
Porro qui nos confirmat in Christum, quem unxit Deus, est,
qui etiam obsignavit nos, deditque arrhabonem Spiritus in
cordibus nostris, *2. Cor. 1. v. 22.* uti etiam ipsi justificatio, *2. Cor. 3.*
v. 17. & *1. Cor. 6. v. 11.* & regeneratio, *Job. 3. v. 5.* expressè tribuitur.
Quomodo ergo arceri poterit ab interno influxu donorum
gratiæ.

XXXIII. Rationes, quas addit Becanus, non probant
id, ad quod probandum sunt adductæ. Quæ enim est conse-
quentia: Spiritus sanctus non meretur nobis gratiam: Ergo
non potest esse Vicarius Christi? Si hæc consequentia est fir-
ma, eodem modo argumentari possumus: Papa nullam no-
bis meretur gratiam: Ergo neque Papa est Vicarius Christi.
Verùm licet non mereatur nobis gratiam Spiritus sanctus; il-
lam tamen nobis applicat, & ut in nobis sit, efficit. Neque
est necesse, ut Vicarius planè idem faciat, quod ejus Princi-
palis: Sufficit, si faciat, quæ ratione Vicariatus ipsi sunt injun-
ctæ,

ta, & quæ facere potest. Et licet non mereatur Spiritus sanctus nobis gratiam; tamen eam effectivè producit, quod fatetur Be- nus, & sufficit.

XXXIV. Excipit verò Jesuita; licet gratiam effectivè pro- ducat, esse tamen illam productionem communem tribus perso- nis Trinitatis: ac propterea Vicarium filii dici non posse, imò nullam causam esse, cur Spiritus sanctus sit potius Vicarius Filii, quàm Pater aut Filius Vicarius Spiritus sancti. Sed non deest Antonio, quod regerere possit. Nam licet operatio illa sit com- munis tribus personis Trinitatis, & opera ad extra sint indivisa, juxta regulam Theologorum: tamen habet regula hæc peculia- rem hanc limitationem, *salvis personarum proprietatibus*. Com- munita igitur sunt opera ad extra, non tamen omnibus personis eodem modo conveniunt. Sic redimere genus humanum est opus ad extra: aliter verò tribuitur Patri, aliter Filio, & aliter Spiritui sancto, sic in cæteris. Eodem modo dicere posset An- tonius, productionem gratiæ communem esse tribus personis omnibus, sed observatis illarum distinctionibus & proprietati- bus. Producit ergo hanc Pater, quia ad illam efficiendam in nomine Filii mittit Spiritum sanctum. Efficit Filius, quia eun- dem mittit ut Filius à Patre. Efficit Spiritus sanctus, quia il- lam à Filio sumit, & in nomine Filii mittitur & operatur. Quia igitur in nomine Filii ipsum mittit Pater, *Joh. 14. v. 26.* simulque Filius eundem mittit à Patre, *Joh. 16. v. 26.* ipseque omnia nomine Filii in Ecclesiâ, tanquam Spiritus oris ejus, agit, & omnia, quæ facit in Ecclesiâ, quæ docet, nobis tribuit, & obsignat, Christi sunt, *Joh. 16. v. 13. 15.* si ex sententiâ Antonii alicui personæ Vicariatus Filii tribui possit, tantum illud verum erit de Spiritu sancto: nul- lo autem modo vel Pater vel Filius dici poterunt Vicarii Spiritus sancti: quia nulla illarum rationum in ipsos quadrat.

XXXV. Pergit Becanus §. 37. *Quod sic clariùs explico. Pro- ductio donorum gratiæ non procedit à Patre, quatenus Pater est; nec à Filio, quatenus Filius est; nec à Spiritu sancto, quatenus Spiritus san- ctus est; sed procedit à Patre, Filio & Spiritu sancto, quatenus sunt unus Deus. Itaq; non sunt tria principia illius productionis, sed unum.*

G

A



At unum principium, quâ tale, non potest dici propriè Vicarius sui ipsius. Ergo nec Spiritus sanctus, quatenus est Deus, potest propriè dici Vicarius Christi, quatenus ille similiter est Deus. Nam uterq; est unus & idem Deus.

XXXVI. Respondemus 1. abuti Becanum termino *Quatenus*: Non quidem procedit productio donorum gratiæ à Patre, quatenus Pater est; nec à Filio, quatenus filius est: procedit tamen ab utroque & Spiritu sancto, quatenus sunt personæ: cum actiones sint personarum, ut in scholis loquuntur. 2. fallere Jesuitam æquivocatione in vocabulo *principii*: Proindeque non simpliciter verum esse, quod non sunt tria principia illius productionis. Est enim principium agendi duplex, 1. *ut quod*: nempe quod agit, atque illud est suppositum vel etiam persona. 2. *ut quo*: quod est ipsa virtus vel etiam organum, per quod principium ut quod, hoc est suppositum vel persona, agit. Sic homo videt, & oculi hominis vident: ille tanquam principium ut quod: hi tanquam principia, ut quibus.

XXXVII. Sic etiam res in ipso Deo sese habet: Productionis donorum gratiæ principium est unum, & est trinum. Trinum est principium ut quod, nempe tres illæ personæ divinitatis, omnino quatenus tres distinctæ personæ: quandoquidem revera à Patre procedit illa donorum productio; revera quoque à Filio; ut & à Spiritu sancto revera ac propriè: idq; ob adductam rationem. Quia actiones sunt suppositorum & personarum. Unum quoq; est principium ut quo, nempe Virtus essentialis Dei, quam communem esse omnibus illis tribus personis facile concedimus: verum illam se in singulis habere eodem planè modo, id neque Becanus affirmare audet. Nam Pater habet illam à nullo: Filius à Patre per æternam generationem: Spiritus S. ab utroque, per æternam processionem. Ut ut igitur principium hoc & virtus sit una, non tamen propterea effectus per virtutem illam productus, necessariò eodem modo fluit à singulis personis: sed aliter à Patre, aliter à Filio, & rursus aliter à Spiritu sancto. Quia aliæ atque aliæ personæ sunt, & in communibus actionibus ad extra personarum discrimen, & proprietates non sunt negandæ.

38. Quo-

XXXVIII. Quocirca responsione illâ Becani non tollitur assertio Antonii, nempe *Spiritum sanctum esse Vicarium Christi*: idque propterea, quia falsâ nititur hypothese, nempe *principium hinc agendi tantum unum & non simul trinum esse*: eam autem falsam esse demonstravimus. Posset ergo juxta sententiam Antonii Spiritus sanctus, ut est in divinitate tertia persona, & eatenus non idem cum Filio sive Christo, sed realiter distinctus, ratione officii in suam personam suscepti, Vicarius Christi dici in productione donorum gratiæ: Et sic nulla esset difficultas respectu Antonii: quippe qui Spiritum sanctum dicit Vicarium Christi, non quia vel quatenus est idem Deus vel ejusdem essentiæ cum Christo: sed quia id officium singulariter Spiritui sancto, ut tertiæ in divinitate personæ, illius judicio, incumbit.

XXXIX. Adfert adhuc aliam objectionem Becanus §.38. *Objicit Antonius illud Joh. 14. v. 26. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecunque dixerero vobis. Et cap. 16. v. 7. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos. Hinc infert, Spiritum sanctum missum esse, ut esset loco Christi, seu, ut esset Vicarius Christi. Respondeo. Non rectè hoc inferatur. Missus quidem est, ut doceret Apostolos; non tamen, ut propriè esset Christi Vicarius. Hoc satis clarè paulò antè ostensum est. Et ille ipse, ut solet esse inconstans, fatecur lib. 1. cap. 1. n. 16. Ubi de Christo, in cælo jam existente, sic scribit: *Omnia munera capitis & Regis obire per se perfectissimè. Certè, si omnia per se obire, non obire per Vicarium. Ecce in quantas angustias se conjicit.**

XL. Responsio hæc Becani nulla est: quippe tantum negat consequentiam, nempe Spiritum sanctum missum esse ut Vicarium Christi. At simplex negatio non tollit argumentum. Addit, hoc à se satis ostensum esse. Sed ubi? Sanè in hac disputatione non est factum: ut quilibet ex resolutionibus nostris facilè intelliget. 2. dicit, ipsum Antonium in eo sibi contradicere, quod alibi asserat, Christum omnia capitis & Regis munera obire per se perfectissimè: Si enim, (inquit Becanus) omnia per se obire, non obire per Vicarium.

XLI. Sed ex his quoque triceis facile se expediet Antonius. Se illud ita asserere, respectu alterius, qui nullo modo sit idem cum Christo, nempe respectu alicujus hominis, utpote Papæ Romani: quod nimirum ad munia officii sui regii, & ut caput est Ecclesiæ, perficienda, non indigeat humano aliquo Vicario: ut alius homo partem hujus officii in se suscipiat, cum omnia per se, propriamque suam virtutem perficiat: idque non tollitur, quando dicitur Spiritus sanctus instar Vicarii docere, regere, &c. Ecclesiam. Nam Spiritus sanctus licet sit alia persona, est nihilominus Christi Spiritus, est virtus essentialis & *ἐνεργητικὴ ἐν ὑπόστασι*, eandem cum utroque essentiam, singulari *ὑπάρξεως τῶν*, quem processionem vocamus, obtinens: & sic virtus procedens quoque à Filio.

XLII. Atque hoc respectu Antonius dicere potest, quæ Christus in regni sui gubernatione per Spiritum sanctum facit, quod illa facere dici possit per se ipsum, cum per propriam virtutem & Spiritum suum faciat: cum virtus, quæ agit Spiritus, sit etiam Christi virtus. Cum autem nihilominus de ipso loquatur Christus, tanquam de Vicario suo, nempe *quod non loquetur de se ipso, sed quæcunque audiet, loquetur*: nempe quæcunque de communi consilio Trinitatis, humano generi revelanda acceperit, ea proponet, *Joh. 16. v. 13.* utique colligit Antonius, potius Spiritum sanctum Vicarium Christi in scripturâ definiri, & à nobis haberi debere, quàm Papam Romanum.

XLIII. Fortè urgebit Antonius (inquit Becanus S. 39.) *particulam illam, IN NOMINE meo, id est, ut sit Vicarius meus. Respondeo. Varia est explicatio illius particula. Prima, Pater mittet Spiritum sanctum, in nomine meo, i. e. in gloriam nominis mei. Ita Theophylactus in illum locum. Et colligitur ex illo Joh. 16. v. 14. Ille (Spiritus sanctus) me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Altera, in nomine meo, id est, propter meritum meum. Ita Toletus annotat. 26. in cap. 14. Joh. Quo sensu etiam dictum est Joh. 14. v. 23. Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Tertia, in nomine meo, id est, ad opus vel negotium meum perficiendum.*

*dum. Ita Toletus ibidem. Duae priores explicationes nihil illum
juvant. Circa tertiam notandum est, Christum multa per exter-
nam vocem dixisse Apostolis de sua passione, morte, resurrectione, &
aliis mysteriis, quae ipsi tunc non intelligebant. Luc. 18. v. 34. & alibi.
At postea, quando per internam vocem Spiritus sancti illustrati sunt,
ceperunt intelligere, & toti mundo promulgare. Et hoc est, quod
ait Christus: Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo,
ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecumque dixerit
vobis. Graecè est, Quaecumque dixi vobis. Sensus est: Quae à
me externâ voce dicta sunt, & à vobis non intellecta, intelligetis ex
internâ suggestionem Spiritus sancti, qui à Patre mittendus est in no-
mine meo, id est, ad perficiendam doctrinam, quam ex me audistis.
At hinc non sequitur, Spiritum sanctum propriè esse Vicarium Chri-
sti, (non enim est minor Christo) sed perfectiori modo docuisse Apo-
stolos per internam suggest. onem, quae ipsi audierant à Christo per ex-
ternam vocem.*

XLIV. Omnino etiam hoc ipsum, quod Joh. 14. v. 26.
dicatur Pater Spiritum sanctum missurus in nomine Christi, est
inter rationes, ob quas Antonius ipsum dicat Vicarium Chri-
sti. Quod attinet varias illas interpretationes, suo loco re-
linquimus: aliàs certum est, quod illud, *in Nomine*, ubique
ferè accipiatur pro, *in vel ex autoritate, virtute, &c.* ut Marci
ultimo: *in Nomine meo demonia ejicient*, id est, autoritate sive
virtute meâ. Joh. 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei*, id est,
autoritate Patris mei. Matth. 7. v. 22. *Nonne in Nomine tuo pro-
phetavimus?* id est, autoritate, virtute tuâ. Act. 4. v. 7. con-
junguntur virtus & nomen, tanquam Synonyma: *In quâ vir-
tute, aut in quo nomine hoc fecistis?* Sic quoque praesens locus
Johannis cap. 14. v. 26. commodè exponitur, ut *in nomine
Christi*, sit, *in autoritate, in virtute, in doctrinâ Christi, vel Chri-
sti nomine.* Qui autem ita missus est, ille omne id, quod fa-
cit, loco & autoritate ejus, cujus nomine missus est, facit, pro-
indeque revera habere videtur rationem & officium, in ejus-
modi actionibus, Vicarii.

XLV. Quod attinet interpretationem Theophylacti,

© 3

illa

illa tantum abest, ut incommodet sententiæ Antonii, ut illam fortiter probet & confirmet. Sic enim ille: *Quod autem dicit, inquit, in nomine meo veniet Paracletus; hoc vult, quod nihil alienum à me docturus sit vos, neque propriam opinionem sibi vindicabit; sed in nomine meo veniet, hoc est, in gloriam mei nominis, non sui: id quod faciunt contraria docentes, auditoribus proprium nomen commendantes.* Perpendat ista pius & candidus lector, & dicat, an verum sit, quod blaterat Becanus, hanc explicationem nihil juvare Antonium: puto ipsum maximè juvare.

XLVI. Locus, qui ut parallelus ex *Job. 16. v. 14.* allegatur à Becano, apud Theophylactum citatus non est. Interim, si vel maximè ab ipso allegatus esset, nihil derogaret sententiæ Antonii, sed illam potiùs probaret. Nam *clarificare nomen illius, à quo quis missus est, non negat, hunc clarificantem esse Vicarium mittentis in eo, in quo illum clarificat.* Hoc enim est fidelis Vicarii, non suam, sed Principalis sui gloriam quærere; & quando hoc facit, fidelis Vicarii officium præstat. Atque id ipsum non negat, sed maximè confirmat ratio addita: *Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quandoquidem hoc ipsum Vicarii est proprium, de suo nihil proponere, nihil ordinare, sed tantum illa, quæ in mandatis habet, exequi: & quando hoc facit, & quatenus hoc facit, Vicarium agit.

XLVII. Interpretationem quoque Toleti priorem non adeò negamus. Quandoquidem libenter concedimus, quod Christus Spiritum sanctum in suâ passione nobis meritus sit, & quod, ut ipse hujus sui meriti vigore perpetuus est pro Ecclesiâ apud Deum pater Pontifex & intercessor; ita quoque ipsum impetraverit, Paterque mittat & effundat super fideles; ut ita omnino in illâ missione sit respectus ad meritum Christi: interim hoc illo termino, licet Christi meritum supponatur, formaliter exprimi, probari non potest: ideoque potiùs Theophylactum & hoc loco sequimur, phrasin illam, *in nomine, de virtute, autoritate & efficaciâ nominis*

nis Christi interpretante, quando in versum 23. cap. 16. Johan. ita scribit: *Quum igitur ex mortuis resurrexero, mittam vobis paracletum, tunc non me rogabitis b.e. petetis ita ut sim vester mediator: sed sufficiet vobis NOMEN MEUM, ut à Patre accipiatis petitiones. Ostendit igitur hoc loco NOMINIS SUI VIRTUTEM: Siquidem quum neque videtur, neque obsecratur, sed quum nominatur solum, talia facit. Huc usque, inquit, non petiistis quicquam sub nomine meo. Ex hoc autem tempore petite, & omnino accipietis: & ita expedit vobis, ut ego moriar: Siquidem apud Patrem majorem, quam nunc, fiduciam inventuri estis. Non enim quod separor à vobis, existimate vos à me relictos: sed NOMEN MEVM majorem vobis fiduciam dabit, & gaudium vestrum tunc erit plenissimum, quum accipietis omnes petitiones. Atque sic pro sententiâ Antonii hanc quoque phrasin facere, quis non videt?*

XLVIII. Posterior Toleti interpretatio expressè sententiam Antonii confirmat. Nam licet explicationis ergo multa addat Becanus; nihil tamen istorum quicquam contra Antonium probat: frustra itaque adducta sunt. Quod intelligens ipse Becanus, coccysum suum reperit, nempe quod, licet omnia illa Spiritui sancto rectè tribuantur, nondum tamen dici queat Christi Vicarius; *cum non sit minor Christo.* Hoc ergo dicere vult Jesuita: fatendum quidem sibi, omnia illa, à se jam adducta & explicata, probare sententiam Antonii, nempe demonstrare, Spiritum sanctum esse Vicarium Christi; si modò unica illa conditio adesset, & dici posset Spiritus sanctus minor Christo: quæ verò cum desit, non posse inde colligi, Spiritum sanctum esse Vicarium Christi.

XLIX. Verùm hæc objectio in præcedentibus sufficienter soluta est, ut nulla nos cogat necessitas, more Becani recoctam crambem apponere.

L. Tandem licet in phrasi hac (*Spiritum sanctum post ascensionem esse Vicarium Christi*) nihil absurdi contineatur, neque Marci Antonii sententia Becani adductis argumentis &
ratio-

rationibus refutetur; quia tamen in nostris Ecclesiis usurpata haecenus non fuit, & novis phrasibus in Theologiam introductis, novae plerumque occultentur opiniones: abstinendum potius ab ea esse judicamus, quam sine causa illam Ecclesiae obtrudere; cum sacra Scriptura aliis satis emphaticis & excellentibus nominibus, officium Spiritus sancti, ad quod à Patre in nomine Christi missus est, & hisce in terris praestat, circumscribat, ut novo hoc nomine nihil opus sit.

LI. Quid? quod accuratè loquendo & vocem Vicarij intuendo, videtur aliquid in illa contineri; quod officio Spiritus sancti non insit: & contrà. Nam opus, ad quod missus est Spiritus sanctus, nempe *ut judicet mundum, ut fideles doceat, fidem per auditum verbi in ipsorum cordibus accendat, confirmet, consoletur in tribulationibus &c.* sunt opera divinitatis ad extra, & omnibus tribus personis communia, ita tamen, ut diversimodè illa ipsa ad personas referantur, & proinde singulae singulari modo, ad eadem *ἰσοτελέσματα* producenda, agant. Ut ergo ad opera illa ad extra singulari modo est ordinatus Filius à Patre, non tamen propterea dici potest Vicarius Patris: sic quoque licet ad ea rursus peculiari modo missus sit Spiritus sanctus à Patre & Filio; non tamen propterea potest dici Vicarius Filii; cum aequè dicendus esset Vicarius Patris: quod non tantùm ea, quae Filii, sed etiam ea, quae Patris sunt, hisce in terris exequatur, affirmante ipso Christo, quando Joh. 16. causam reddit, cur dixerit, *Spiritus sanctus de meo accipiet, quae renuntiabit vobis, v. 14.* Inquit enim v. 15. *Omnia, quae Pater habet, mea sunt: propterea dixi, quod de meo accipiet, quod renuntiabit vobis.*

LII. Ubi (rectè & eruditè annotante Hunnio) de illa mirandâ *κοινωνία* Patris & Filii in Trinitate differit: gratiâ cuius Pater omnia, quaecunque est & habet, Filio per ineffabilem illam generationem aeternam communicat, unde etiam communis est utriusque Spiritus, de utroque in divinitate procedens: cui similiter à Patre Filioq; cōmunicantur omnia,
& inde

& inde accipit omnia, ex cujus infinitæ sapientiæ sibi essentialiter communicatæ beneficio habet, ut arcanam Dei voluntatem possit communicare, utpote cujus ipse probè conscius est, tanquam Spiritus sapientiæ & scientiæ. Quocirca certissimum est, quod diximus, si Spiritus sanctus dicendus esset Vicarius Filii; utique & Vicarius Patris dicendus foret.

LIII. Adde & hoc, quod Vicarii actio, & ejus, cujus est Vicarius, non est eadem actio; sed alia illa, & alia ista: At actio & operatio Spiritus sancti, & actio Christi in Ecclesiâ militante, est una eademque actio, ab unâ eademque virtute profecta: (Hinc Christus revera dicitur iudex controversiarum de fide; & Spiritus Sanctus itidem iudex dicitur: Christus nos docere, justificare, illuminare, sanctificare, &c. eademque Spiritui sancto tribuuntur, &c.) Ergo ut in actionibus SSanctæ Trinitatis sociæ causæ non dantur; sic neque subordinatæ: Ubi autem est Dominus principalis, & ejus Vicarius; ibi sunt subordinatæ & causæ & actiones. Quocirca Spiritus sanctus propriè non dicitur Vicarius Christi, nisi fortè per aliquam similitudinem, analogiam, & modo concipiendi nostro.

LIV. Id verò Marco Antonio ignotum fuisse non credimus, ideoque arbitramur, ipsum non ex propriâ sententiâ loquutum fuisse, sed ex hypothese, vel omnino sic appellasse Spiritum sanctum Vicarium Christi, ut Lutherus in Commentario suo super primum caput Genes. λόγον sive Filium Dei medium sive instrumentum, quo Deus Pater in operando usus est, nempe eo simplicitatis modo, quo olim Anthropomorphytæ, describentes omnipotentiam & omniscientiam Dei, dixerunt, Deum habere oculos, quibus adspiciat egenos, habere aures, quibus audiat orantes, &c. Non quod ita Deus ejusmodi corporea organa habeat vel per illa agat; sed quod actio Dei ita propter imbecillitatem intellectus humani cum illis comparetur, & per modum agendi nostrum.

D

expli-

explicetur : Sic quoque Filium Dei dixit medium vel organum Lutherus, non quod sit; sed quod in comparatione ad illud, ita dicatur: Cùm quærenti, Quo instrumento vel medio in rerum omnium creatione usus fuerit Deus; aliter neq; possit neque debeat responderi, quàm illum nullum aliud habuisse medium vel instrumentum, quàm Verbum sive Filium suum: quippe per quem omnia facta sunt, *Job. 1. v. 3.* Sic quoque dicere velle videtur Antonius contra Pontificios, de Vicario Christi quærentes: Si omnino Vicarius Christi unicus hisce in terris dandus esset; tum nullum aliud dari posse, quàm Spiritum sanctum, quem Christus se missurum esse promisit, proindeque non Papam Romanum, utpote de quo altum in universâ Scripturâ silentium: haud secus ac in creatione non Angeli (ut fabulantur Photiniani) sunt dicendi media sive instrumenta, per quæ omnia Deus fecerit: cùm Scriptura disertè testetur, omnia per λόγος facta esse, & sic ipsum tanquàm medium pro ratione nostri captus describat. Adhuc de prima Conclusionè.

L V. Pergamus cum Becano ad secundam: quâ de agit in paragraphis quatuor subsequentibus. Inquit ergò §. 40. *Secunda Conclusio. Primatus Petri non consistit in eo, quod fuerit primus ætate, vocatione & charitate inter omnes Apostolos, ut fingit Antonius. Primò, quia incertum est, an Petrus fuerit ætate senior, quàm alii. Nam multi putant, Andream fuisse seniore, ut Epiphanius hæresi 51. Baron. tomo 1. Annalium, anno 31. §. 23. Lorinus in cap. 1. Actor. §. 13. Serarius in Tractatu de Apostolis, & plures alii. Ille quidem citat pro se Cassianum & Chrysostomum, sed eos citando, non efficit rem certam, quam ego incertam dixi. Quod ipsemet fatetur his verbis: Quis enim diem Nativitatis horum duorum fratrum notatum vidit? Qui interrogavit eorum parentes? Rectè, si ergò incertum est, etiam Adversario ad stipulante, An Petrus fuerit senior ætate, quàm Andreas; certè primatus ætatis, quem ille Petro tribuit, certus esse non potest. Et aequè promptum erit mihi asserere, Andream fuisse seniore, quàm illi, Petrum fuisse seniore. Unde sequitur, illum in arena, non in petra, Primatum Petri adificare: ac*
proin-

proinde non prudentem, sed stultum architectum esse. (Matth. 7. v. 22.)

LVI. Primum respondemus, cavillationem Becani nullius momenti esse: cum i. videantur M. Antonii verba, non conjunctivè, sed disjunctivè esse intelligenda, ut sit sensus, Petro primum datum fuisse locum vel propter ætatem, vel vocationem, vel facundiam, vel zelum, vel ordinem, vel similem ob causam; non autem propter principatum: Ut sic responsione illâ nihil certi ponatur, sed certum removeatur, nempe principatus. Cum negari non possit, Petrum sæpius locutum fuisse nomine cæterorum omnium, & sic quasi os fuisse Apostolorum: & constet, ex Patribus nonnullos statuere, Petrum inter Apostolos fuisse seniore: Principem verò aut Monarcham fuisse; neutiquam vel ex scripturis sacris, vel Orthodoxis Patribus probabitur. Deinde videtur quoque M. Antonius non ex propriâ sententiâ, sed alienâ opinione loqui.

LVII. Pergit §. 41. *Deinde falsum est, Petrum fuisse vocatum ante omnes alios Apostolos. Potest enim triplex vocatio distinguï. Prima, quâ Andreas, Petrus, Philippus, & Nathanaël, non quidem propriè vocati, sed tamen admissi sunt ad Christum, tanquam familiares auditores: noneo animo, ut cum ipso constanter manerent; sed visuri, ubi habitaret, & quid diceret. Et in hac vocatione, seu potius admisione, Andreas præcessit Petrum, ut expressè habetur Job. 1. v. 41. Altera, quâ propriè vocati sunt à Christo, tanquam Discipuli cum illo permansuri. Et sic Petrus & Andreas simul, seu eodem momento vocati sunt: Et post illos, Jacobus & Johannes simul, ut patet Matth. 4. v. 18. Tertia, quâ propriè vocati sunt, tanquam Apostoli: vel, quod idem est, quâ ex numero Discipulorum electi sunt ad Apostolatam, tanquam altiore gradum. Sic omnes duodecim simul, seu eodem tempore electi sunt, Luc. 6. v. 13.*

LVIII. Ut ergo negavit Becanus in præcedente paragrapho, Petro competere primatum ætatis: sic hoc loco negat, ipsi tribuendum esse primatum vocationis. Atqui verò non desunt inter Patres, qui expressè tradunt, Petro deberi primatum vocationis ad Apostolatam. Sic enim Cyprianus:



*Petrum, inquit, Dominus primum elegit. (nempe ad Apostolat-
tum, de quo loquitur, primum vocavit.) Et Gregorius ait: Pri-
mus in Apostolatum Petrus vocatus est, &c. Hos secutus est M. An-
tonius. Atque sic argumentari voluit: Si omnino aliquis
primatus Petro est tribuendus, tum ei tribuatur primatus vel
aetatis, vel vocationis, vel charitatis: quia ille quorundam
Patrum autoritate potest stabiliri: non verò primatus pote-
statis & jurisdictionis: cum destituatur omni probatione, ut-
pote, uti diximus, qui neque in scripturâ, neque in patribus
invenitur. Quæ sanè argumentatio nihil absurdi, nihilque
falsi continet: nec opus est, ut multum hic solliciti simus de
vocationis ordine.*

*LIX. Si autem Becanus testimoniis Patrum, pro no-
stra sententia adductis, credere & locum dare recusat, quâ vi
vel necessitate nos constringet, ut credamus, Petrum esse visi-
bile caput Ecclesiæ, quando illud ex quibusdam Patribus af-
firmat & probat Becanus? Sciat ille, sciant omnes Jesuitæ, nos
suae libidinis mancipia non esse: proindeque eâ facilitate, quâ
ipsi testimonia Patrum rejiciunt, & nos eadem repudiare:
cum adhuc magis in nostra potestate sit, illa admittere vel re-
jicere: utpote qui nulli Patri, ut tali, sed tantum, ut consenta-
nea Scripturæ sacrae tradit, credimus.*

*LX. Pergit Becanus S. 42. & 43. Deniq; incertum est
apud bonos Authores, an Petrus habuerit Primatum charitatis pre-
aliis Apostolis. Nam. D. Thomas in 1. parte, quæst. 20. art. 4. ad 3.
proponit hanc questionem, An Christus plus dilexerit Petrum, quàm
Johannem? Item, An Petrus plus dilexerit Christum, quàm Jo-
hannes? Et pro sua modestia, non audet definire. Adfert quidem
varias autorum opiniones: Quorum alii asserunt, quod Petrus plus
dilexerit Christum in membris; & ideò illi Ecclesia commissæ sit: Jo-
hannes plus dilexerit Christum in seipso: & ideò Mater Christi ipsi
commendata sit. Alii, quod Petrus plus dilexerit Christum, quantum
ad fervorem & promptitudinem: Johannes verò plus, quoad fami-
liaritatem: Alii, quod incertum sit, uter plus dilexerit illum amore
charitatis. Quid ipse? Presumptuosum, inquit, videtur hoc di-
dicare.*

dicare, quia, ut dicitur Proverb. 16. v. 2. Spirituum ponderator est Dominus, & non alius. Sed esto; Petrus plus dilexerit Christum, quam Johannes, quod non nego: An ideo sequitur, Primatum Petri, quem Scriptum & Patres illi tribuunt, in illa dilectionis eminentia consistere? Hoc probari non potest. At ego contrarium probabo, consistere in prerogativa potestatis & jurisdictionis.

LXI. Pro certissima & apodictica etiam sententia non attulit & dixit Antonius *tribuendum esse Petro Primatum charitatis*: Sed hæc est ejus mens; majore probilitate hunc principatum tribui posse Petro, quam jurisdictionis ac potestatis. Quocirca neque Scholasticorum disputationes hanc questionem de charitate Petri & Johannis, quæ alteri circa præferenda sit, Antonio contradicunt: qui, perinde ut illi, non demonstrativè, sed tantum dialecticè disputat & concludit.

LXII. Quod autem Becanus ex tripode dicitur sententiam, & questionem hanc decidat, ut, quod illud facere non ausus fuerit Thomas, tantus Doctor, ut in Papatu aestimatur, arguit & commendat ejus singularem modestiam, affirmante ipso Becano; sic contra istud Becani factum arguit detestandam Jesuiticam arrogantiam & audaciam. Quandoquidem, licet Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem, mihi pag. 252. *charissimum discipulorum appellitet Petrum, cui Christus affectaverit de figuris suis peculiariter nomen communicare*, plura tamen argumenta pro Johanne adduci possunt. Nam 1. solus Johannes recumbebat in ultimâ eonâ super pectus, sive in sinu Christi, *Joh. 21. v. 20. item cap. 13. v. 23.* 2. commendavit ipsi matrem suam Christus, & quidem in arâ crucis; & agone, *Joh. 19. v. 26.* 3. illum ita carnificis manu interfici noluit, ut Petrus à Nerone crudeliter obtruncatus est, *Joh. 21. v. 22.* 4. Per antonomasiam dicitur discipulus, quem Christus dilexit, *Joh. cap. 13. v. 23. & cap. 19. v. 26. item cap. 21. v. 20.* Similia dilectionis indicia nobis monstret Becanus in scripturis de Petro.

LXIII. Hæc verò temeritati tantum & audaciæ Jesuitæ opposita sunt; interim laudamus & commendamus

D. 3.

mode-

modestiam Thomæ. Nam illa, quæ probabilibus rationibus
asseruntur; ita, ut affirmantur, non sic statim in rei veritate
fese habent: cum *ἔνδοξα* sint semper incerta: Ideoq; nec no-
stram hanc sententiam ut apodicticam obtrudimus: interim
certò scientes, neque Becanum, si adhuc in vivis esset, neque
ullum ejus discipulum, vel Jesuitam, contra illa, quæ à nobis
probationis loco adducta sunt, contrarias rationes urgentes
& cogentes, sive apodicticas, adferre posse.

LXIV. Sed (ut veritatem fateamur) controversia hæc
magni momenti non est. Interim sciant Jesuitæ, Becanum,
dum negat primatum ætatis, vocationis & charitatis, quem li-
benter Petro cum M. Antonio tribuimus, multò plures pen-
nas à primatu Petri deplumare, quàm vel nos, vel hunc Anto-
nium: Et si porro demonstraverimus, uti parati sumus, & e-
ventus docebit, Petro primatum Jurisdictionis & potestatis
nullo modo aut ratione competere; tùm miserum Petrum,
omni omninò Primatu privatum iri: Id verò non nobis, qui
libenter aliquem primatum ipsi concessissemus, sed Becano,
talem tribuenti, quem ipse Apostolus derestatur, impu-
tabitur. Hactenus quoque de secundâ

Conclusionem.

SOLI DEO GLORIA.





Præstantissimi & Doctissimi

Dn. M. RESPONDENTIS

C*Hristi Ecclesiole dum caput impotens,
Et monstro similem constituunt gre-*
gem,

(Partum cruore Immanuelis,)

Papicolûm malè sana turba;

Magni præsidio, quisquiliæ ducis

Has, nixus, reseccas, Eusebiæ decus,

Ericæ: gratamur, beata

Quæq; tibi, precibus voventes.

*Eruditæ pietati & piæ eruditioni,
amici sui scripsit*

*Johannes Botfaccus,
Herford, VVestph.
S. Theol. Licent.*

Inaugural Dissertation
Dr. M. R. E. S. P. O. N. D. E. N. T. I. S.

De Ecclesia


ex dicto

JACOBO MANNI S. Th.


JOHANNIS TITELII RUGENW. FOR.

Ex Officina Typographica AMARCAE ROTHE Aed. Typ.
Anno MDCXXX











99 A 6900


ULB Halle 3
002 622 092



86

Rebro V D 77





ne ha
to &
Mar
oetuc
vical
coel
y ipse
S. 32
is: 1
um e
ua v
visibi
donor
e. D
Eccle
hac
em C
ft ver
ero fi
mpiu
atren
bile c
us ad
An Pe
sie p



COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO XXVI.

continens
ANTIΘΕΣIN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie,
DE QUÆSTIONIBUS:
I. An Spiritus Sanctus sit Vicarius
Christi? 2. An Primatus Petri consistat in eo, quod fuerit primus
aetate, vocatione, & charitate inter omnes Apostolos?

Proposita.
In Electorali Academia VVittebergensi,
P R Æ S I D E
JACOBO MARTINI S.S.Th.
Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.
Seniore, ac Templi Arcis Præposito,
RESPONDENTE
M. ERICO PELSHOFERO Græ-
censi Styro.
In Auditorio Collegii Veteris
Ad diem Novembr.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum SALOMONIS AURBACH, Acad. Typogr.
ANNO M DC XXX.

